DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Francesco cardinale Acquaviva (cardinale), Valenti Gonzaga



Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XIII.

PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS ACQUAVIVA

FELICITATEM.



Uod fertur per hominum ora, & jampridem percrebuit, Beatissime Pater, *quodque fama sparsit, ac disseminavit in orbis terræ memoriam sempiternam, illud fieri non potest, quin vel ad aures adolescentis, qui artibus ingenuis ad humanitatem, & pietatem informandus sit, facile perveniat. Quamobrem & ipse quoque intellexi Te ad fastigium*

stigium honoris evectum statim in ineffabilis TRINITATIS *cultu promovendo præcipuum Tuæ auctoritatis studium transmittendum putavisse, & Collegio Clementino valde gratulatus sum, cui celebritate hujus diei præclarus dicendi honor datus fuit coram magnifica ipsius Sacerdotii amplitudine, atque splendore. Inde usque repetens sperare ausus sum, meam erga tantum Mysterium religionem declarandi mihi etiam pulcherrimam occasionem se se fore aliquando oblaturam, non electo uni, qui maximo ingenio, sed relicto ex omnibus, qui spe veniæ quam plurima dicere passum. Hinc voti compos, si tenues meæ devotionis primitias pro Tua summa benignitate esse aliquid putas, quam oratiunculam attente, bonaque cum venia non es aspernatus audire, hanc Tibi ad Tuos pedes prostratus humillime offerre gaudeo. Ac quemadmodum olim Jacob, ut patris benedictionem adipisceretur, matris auctoritate, & consilio e grege sumptas epulas illi paratas attulit: sic ego non e locis hor-*

ridis, & confragosis, aut silvis, aut saltibus inviis, ætatique meæ inaccessis, sed e pascuis Domini, idest ex divinarum Scripturarum sententiis deproptum munus offero. Quam igitur benedictionem Jacob exoptabat, hanc ego te flagito: illam, inquam, qua beatificam, æternanamque hæreditatem adire possum; quamque omnibus Fidelibus largiri cupiebat Apostolorum Princeps, cujus Tu summum locum nunc obtines. Hanc benedictionem mihi, totique Collegio Clementino ne deneges, dum a Deo O. M. Tuam salutem, & incolumitatem precamur.




IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

D. Archiep. Nicomed. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.



ORATIO.



ILlæſum, atque incontaminatum TRINITATIS Sacramentum, BEATISSIME PATER, cujus beneficio Apoſtolica, & Evangelica auctoritas Fidei noſtræ fundamenta per ſolidum ſubdidit, firmiſque nexibus divinam compagem ſuperſtruxit, id ſolum a nobis ſuo jure poſtulat, ut Patrem nimirum adoremus, & veneremur cum eo Filium, ac Sanctum Spiritum ad immortalitatis pignus, & ad divinæ, incorruptæque naturæ conſortium ſumamus. Cum igitur humanis modo aut Sabellii, aut Hebionis, aut Arianorum, aut Pneumatomachorum commentis, quemadmodum Divus Hilarius querebatur, (a) ſermonis noſtri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia ſunt, extendere non cogimur; quid neceſſe eſt homini majora ſe-

quæ-

(a) *De Trin. l. 2. n. 2.*

quærere (a), cum ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua? Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum (*b*), ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. Quamobrem ne quis mihi regeret illud: neque plus ſapias, quam neceſſe eſt (*c*), ne obſtupeſcas; ſatius me facturum duco, ſi ſpiritalis utilitatis gratia breviſſime oſtendam tanto, ac penitus divino hujuſce diei feſti Myſterio Chriſtianæ Spei veritatem, & ſecuritatem fulciri, atque firmari.

Merito quidem homini maledicit Jeremias (*d*), qui confidit in homine. Ipſe enim myricæ ſimilis non videbit, cum venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate, in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Contra ea viro benedicit, cujus erit Dominus fiducia. Hic enim erit quaſi lignum, qui tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem ſuas mittit radices, & in die ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Itaque quis ibit inficias, nihil eſſe in vita magnopere expetendum a nobis, niſi ut inſtar ignis, quem mane ſubiiciens ligna per ſingulos dies (*e*) nutriebat Sacerdos, hæc non inanis ſpes Chriſtifidelium vitamcum metu, & tremore traducendam (*f*) animet; formet, educet, augeat? Hæc quidem profecto, hæc ea res eſt, quæ, ut omnes probe noſcunt, qui Scripturas Divino Spiritu afflatas vel primoribus labris attigerunt, adoleſcentes alere, ſenes oblectare, proſpera ornare, adverſis perfugium, & ſolatium præbere poſſunt. Sed quis iſta, quæ ſumma ſunt, ex quo fonte hauriat, ſen-

(a) *Eccleſiaſt. VII. 1.* (b) *Proverb. XXV. 27.*
(c) *Eccleſiaſt. VII. 17.* (d) *XVII. 5. & ſeq.*
(e) *Levit. VI. 12.* (f) *Ad Philipp. II. 12.*

ſentiet, niſi qui ſe baptizatum (*a*) fuiſſe credit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? Is nempe Deo benedicit, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam (*b*) regeneravit nos in ſpem vivam; ita ut certus ſit Spiritum ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis (*c*), habitare in nobis, ac proinde mortalia corpora noſtra eſſe vivificaturum. Is ſibi perſuadet, nos non accepiſſe ſpiritum ſervitutis iterum (*d*) in timorem, ſed accepiſſe Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Is tandem TRINITATIS profeſſione nixus facere nullo modo poteſt, quin gaudio ſuperabundans exclamet: Juſtificati (*e*) ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. En ecce unde noſtræ ſpei vera origo ducatur.

Præterea quamvis unum Deum in TRINITATE, & Trinitatem in Unitate rite veneremur, neque perſonas confundamus, neque ſubſtantiam ſeparemus, ſed totas eaſdem tres Perſonas coæternas ſibi eſſe,

(a) *Matt. XXVIII.* 19. (b) 1. *Petr. I.* 3.
(c) *ad Rom. VIII.* 11. (d) *ad Rom. VIII.* 15., *& ſeq.*
(e) *ad Rom. V.* 1. *& ſeq.*

esse, & coæquales firmissime credamus: quia tamen unus est Deus Pater (a), ex quo omnia; & unus Unigenitus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia; & unus Spiritus Sanctus donum in omnibus: ut melius Personarum distinctio eluceat, primæ ingenitæ omnipotentia, secundæ a prima genitæ sapientia, ac tandem tertiæ ab utraque procedenti bonitas tribui solet. Hinc mentes, in quarum aures cum ipsa veritatis suæ virtute Dei sermo transfusus dictitat, & inclamat, ipsas esse quasdam TRINITATIS „ imagines, ac similitudines, spebus suis lætæ in con„ scio suæ securitatis otio requiescunt. Namque ex Patris omnipotentia, Natique sapientia, atque bonitate Paracliti facile sibi coniiciendum esse videntur, Deum sane, dum ab eo peregrinantur, opem, & salutem ferre & posse, & scire & velle. Quocirca tantam capiunt ex TRINITATIS professione vim, atque virtutem, ut & vitam hanc, etsi tot, „ tantisque angoribus afflictatam, esse arbitrentur (b), „ quod pueritiæ litteras, quod ægris medecinam, „ quod naufragis natatum, quod adolescentibus di„ sciplinam, rerum scilicet præsentium tolerantiam „ ad præmium beatæ immortalitatis proficientem, „ ipsamque mortem usque eo non metuant, ut æter„ næ quoque vitæ, felicitatisque initium existiment.

Itaque his catholicæ doctrinæ studiis animi imbuti, in secessu quodam, ac specula augustissimi hujus Sacramenti placida compositi pace quiescunt, nil aliud sibi relictum intelligentes, in quo majus officium præstare debeant Trinitati, quam ut Mariæ per-

(a) *D. Hilar. lib. 2. de Trin. n. 1.*
(b) *ibid. l. 1. n. 14.*

personam (*a*) suscipientes orationibus instent, loquentes (*b*) sibimetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes Domino, gratias agentes semper omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri. Hic vero subit pariter & Spiritum adjuvare infirmitatem nostram (*c*): nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret Spiritus, qui secundum Deum postulat pro Sanctis. Quare si nos ipsi primitias Spiritus habentes ad Deum per Jesum Christum ejus Filium assiduas effundimus preces, quæ spem vivificant, atque perficiunt bene, ac rite ipsi intra nos gemimus (*d*), adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.

En ergo, cur hujuscemodi Christifideles stabilem esse suam spem credant ex TRINITATIS prædicatione profectam, ad quorum beatitudinem porro nihil erit desiderandum. Etenim in æterno Patre uberrima, redundansque beatitatis copia, & infinita eisdem promittitur: in Filio vero, qui pulcherrima, & numeris omnibus absoluta Patris imago est, id præstandum, quo præclarius, atque jucundius nihil sub adspectum cadere possit: ac postremo in Spiritu Sancto, qui Patris, & Filii donum, & munus existit, utriusque impertienda fruitio est. Quæ cum ita sint, nos ex naturali excisi oleastro (*e*), & contra naturam inserti in bonam olivam, me-

(a) *Luc. X. 42.* (b) *ad Ephes. V. 19. & 20.*
(c) *ad Rom. VIII. 26., & 27.* (d) *ibid. vers. 23.*
(e) *ad Rom. XV. 29.*

memores nos aliquando Gentes in carne (*a*), fuiſſe illo in tempore ſine Chriſto, alienatos a converſatione Iſrael, & hoſpites Teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo; iſtud tantum TRINITATIS Sacramentum, quod aliis generationibus (*b*) non eſt agnitum, credamus corde ad juſtitiam, & ore ad ſalutem confiteamur: ita ut, quod in regenerationis noſtræ ſymbolo profeſſi ſumus, illud ſemper obtineamus; Patrem nempe noſtrum, ſuumq. Filium una cum illo in Spiritu, & veritate adoremus, & Paraclitum, qui ex eodem per Unigenitum eſt, promereamur.

FINIS.



(a) *ad Epheſ. II. 12. & 12.* (b) *ad Epheſ. III. 3.*

